DISSERTATIO
medico-chirurgica
de
TUMORIBUS PRÆTER-NATURALIBUS
et præcipue
APOSTEMATICIS
ac
CYSTICIS,
eorumque
optima
APERIENDI METHODO.

n°. 25

la lettre d'envoy est du 12. Xbre. 1763.
le memoire a eté reçu le 12 janvr. 1764.

rejetté

Symbolum:

Medendi optima methodus est:
Cito, tuto et jucunde
curare.

Placuit illustrissimæ Academiæ Regiæ Chirurgorum Parisinæ, pro gloriosissimo conatu scientiæ artisque chirurgicæ fundamenta experimentis magisque stabiliendi ac praxeos chirurgicæ commoda ulterius eruendi, in generis humani emolumentum ægrorumque solatium salutare, problema pro præmio acquirendo antea expositum nuper renovare, ac Naturæ in hac scena curiosis resolvendum denuo publice exhibere.

Res tractationi huic subjecta, secundum relationes publicas, problemate prædicto contenta eo tendit,

ut methodus optima aperiendi tumores, præcipue apostematicos, indicatur, ejusque concinna applicatio commonstretur.

Arduum sane est, Virorum inclytorum et Medicinæ utriusque peritissimorum gratiosissimo quidem sed et strenuo judicio rationem ac methodum talem submittendo indigitare, eamque pro optima venditare: Interim aliquid tentandum!

Conspectus paragraphorum hujus dissertationis

§. 1.

Cum in scholis medico-chirurgicis tumores corporis humani in sensu generaliori dispescantur in naturales, non-naturales et præternaturales; et sub naturalibus intelligantur eminentiæ illæ corporis, quales in statu sano ac perfecto pro partium situ sunt necessariæ: sub non-naturalibus autem istæ protuberantiæ, quæ potissimum in sexu sequiori mediæ ætatis tantum prominent pro scopo generationis, ut sunt mam̃arum uterique intumescentiæ, quippe quæ, cessante hoc scopo, sola naturæ operatione rursus evanescunt; sub præternaturalibus denique morbosi accidentales; ambo priores vero hic in censum non veniant: ideo de postremis seu morbosis hic solum̃odo erit agendum. Cumque hi quoque inter se differant, dum alii adauctam et luxuriantem carnem exhibent, utpote quo spectant excrescentiæ cutaneæ ac subinde simul carneæ, ut verrucæ, clavi digitorum pedis, ficus, sarcomata polyposa, tophi etc.; alii solidæ partis nexum situmve mutatum indicant, quo pertinent herniæ, itemque procidentiæ uteri et ani; alii denique humoris aut puris collectionem ac decubitum gignunt, prout in tumoribus apostematicis et cysticis contingere solet:

duo priores vero apertionem non, vel saltim raro exposcant; de ultimis speciebus præcipue hic erit tractandum. Sermo itaque hic est de tumoribus præternaturalibus in corpore humano obortis, qui materiam morbificam continent, et quorum discussio vel neglecta vel insufficienter impetrata est, adeo ut, pro sanitate restituenda, apertionem requirant, ne, vel tumor inflamatorius discussionem renuens, ~~ac~~ eiusque materia praeclusa in abscessum aut ulcus fatiscens, interiores adsitas partes, in damnum subinde insanabile, erodat; vel increscentia alia, potissimum cystica, tractu temporis magis magisque augescens protuberantia enormi ac tum intractabili partem affectam deformet eamque ad actiones suas exequendas inidoneam reddat.

§. 2.

Tumor præternaturalis est incrementum in corporis quadam parte existens et actionem ejus utplurimum lædens.

§. 3.

Causæ tumorum istorum sunt tum externæ violentæ tum internæ, et hæ quidem respectu solidorum, quorum elater vel spastice adauctus ad restagnationem et subsequentem discrasiam humorum prout in tumoribus inflamatoriis fit; vel elater debilitatus ad collectionem et congrumescentiam, veluti in tumoribus

fit

sic dictis cysticis contingit, imediate conferunt: respectu fluidorum vero, dum ista vel quantitate vel qualitate vel motu peccant, et hinc inde in variis corporis partibus facile subsistere ac vel corrumpi, vel coagulari, tumorique occasionem præbere possunt.

§. 4.

Tumores occupant partes tam solidas, ut vasa, musculos, ossa etc. quam fluidas. Partes solidæ pro diversa cujusvis structura variis corruptionibus sunt exposita, et quidem vasculosæ sanguineæ facile inflamationibus, glandulosæ scirrhis et cancris, ligamentosæ herpeti, osseæ cariei et spinæ ventosæ, musculosæ hypersarcosi, tendinosæ ac nervosæ denique præ ceteris sphacelationi sunt subjectæ.

§. 5.

Partes fluidæ variis mutationibus substantiæ ac craseos sunt obnoxiæ: et humor quidem primordialis reliquorum corporis nostri succorum, nempe sanguis, constat purpura ceu parte rubicunda, et sero ceu parte albicante; illa, oculo armato in cauda cornea transparente piscis vivi conspicitur rubea et in forma globulorum perfecte rotundorum parte serosa undiquaque circumdatorum, et pulsu cordis per arterias ad omnes corporis partes motu progressivo ac circulatorio protruditur, et, quamdiu in tali motu existit, sanguis sincerus nuncupatur, hoc vero subsistente sanguis congrumatus vel cruor vocatur,

subsistentia autem ejus ipsa stasis dicitur.
In apicibus arteriolarum sanguis a venu-
lis accipitur et ad cor reducitur, simul
quoque sub anastomosi horum vasculorum
separatur lympha a sero ad vas laterale
arterio-lymphaticum, ex lympha porro
secernitur succus nutritius, et per alia
vasa lateralia defertur in cellulas adiposas
et sub forma pinguedinis ibi seponitur, liquor
reliquus recrementitius denique per poros
cutaneos eliminatur. In chymica consi-
deratione, cruoris substantia materiam vitelli
ovi similem exhibet, prout seri constitutio
instar albuminis ovi coagulabilis apparet.
Ex hoc humore primario per varia corporis
diversae structurae organa circulante obori-
untur pro differente ductuum se- et excreto-
riorum conformatione in statu naturali
ac sano tot diversissimae indolis et specifi-
carum qualitatum humores secundarii v.g.
lacryma oculi, cerumen aurium, mucus nari-
um, saliva, menstruum ventriculi, bilis, suc-
cus pancreaticus reliquarumque glandularum,
seminalis liquor, sudor, urina etc. ita
ut merito admiranda sit sapientia crea-
toris, quod in oeconomia animali ex
uno liquore per solum mechanismum tot
diversissimi humores se- et excerni possint.
Admiratio vero eo major erit, si conside-
ramus, quod in corpore nostro organico tot
et tam diversi morbi, praecipue ob sensibi-
litatem fibrarum et hinc pendentem hu-
morum turbationem ac corruptionem, pro-
ducantur. Hujus rei prae reliquis testes
sunt tumores inflamatorii, quando enim ac-
cidit, ut pars quodam plus justo ladatur,
sensatio dolorifica efficit, ut fibrillae
spa-

spastice constringantur et pulsus arteriosus augeatur, humor vero in vasculis constrictis cursu impediatur ac restagnet, et nisi obstructio resolvatur, crasis humoris incarcerati corrumpatur, id quod communissime, inter reliquas causas externas, facile efficere potest aeris frigidi actio suppressoria transpirationis seroso-acris cutaneæ, unde erysipelata, rheumatismi aliique morbi inflamatorii ut plurimum, teste experientia, originem trahunt.

§. 6.

Materia tumoris vel libere fluctuat ut in apostematibus; vel firmiter impacta hæret, ut in scirrhis et fungosis excrescentiis; vel peculiari folliculo inclusa est, ut in tumoribus cysticis: Estque materia tumoris vel sanguis, vel serum, vel lympha, vel pus vel aliud corpus morbifice inclusum.

§. 7.

Quod attinet ad rationem ac modum fiendi tumorum inflamatoriorum, probe notandum est, quod stasis humorum non sit ceu causa, sed potius ceu effectus inflamationis consideranda, spasmus fibrillarum vero causa imediata staseos inflamatoriæ existat, ad quem stimulatione excitantur fibræ motrices, hac vero absente vel cessante abest vel cessat inflamatio, quamvis subinde revera adsit sanguinis extravasatio et per consequens subsistentia seu stasis, id quod inde patet, quando subinde peracta venæsectione sanguis extravasatus in cellulositatem reticularem subcutaneam diffunditur, ibi enim non facile oritur inflamatio, sed sanguis extravasatus resor-

betur in massam sanguineam ideo ad circulationem sanguinis reducitur, prout et in aliis sugillationibus fieri solet: E contrario vero, si cuidam vulnus perexiguum infligitur v. g. per puncturam acus, ac praeterea cruori emananti occasio ac tempus sponte subsistendi conceditur, serum vero postea adhuc effluens improvide et tantum sola coalitu desiccatorio labiorum vulneris apertura clauditur et hinc serum praemature subsidet, statim oritur inflamatio, et tamdiu continuat, donec dolor mitigetur emolliendo, vel tantum vulnus reaperiatur, ut serum praeclusum rursus effluat, ac postea crustam exterius efformet et sic successu temporis consolidatio solius naturae ope perficiatur. Pro stabilienda hac hypothesi, quod constrictio fibrarum spastica potius quam stasis sanguinis inflamationem producat, (imo pro ea, quod facilius serum praeclusum quam cruor, idque nec acrimonia quadam inquinatum sed purum restagnans per spasmu fibrillarum indeque sequentem aestum inflammatorium in suppurationem, saltim ab initio abeat,) operae pretium erit exemplum sequens notatu dignissimum in medium proferre: Miles quidam haud ita pridem a frusto gravi parum acuto, a strue lignaria decidente in latere frontis vulneratus erat mediocriter, et ob diuturnam cruentationem applicatione deligatoria spiritus vini imprudenter ac praecipue dolorifice vulnus erat praeclusum. Ex sola hac causa die sequenti frequenter gravissimis cruciabatur motibus convulsivis, qui quidem per adhibita anodyna et antepileptica interna per vi-

vices propinata mitigabantur, at non penitus cohiberi poterant, ne recidivas luderent: quamprimum autem vulneris labia obstructa per incisionem cum scalpello chirurgico resecabantur, insultabat quidem sub hac operatione chirurgica ex dolore incisorio ocyssime novus ac fortissimus motus convulsivus, sed postea vulnere reaperto, humoribusq sufficienter effusis ac labiis tum debite clausis, nulla amplius infestabat convulsio, evidentissimo indicio, symptoma hoc tristissimum ab obstructione humorum, inprimis feri, dolorifica ortum traxisse; Interim non negandum est, hancce suppressionem motuum convulsivorum per apertionem vulneris obstructi facile impetrari potuisse ac debuisse impositione remediorum demulcentium ac præsertim emollientium, ut cum jucunditate, non vero tanta crudelitate æger sanaretur.

Quod præterea subinde ex sola partium læsione, humoribus licet ~~plane~~ insontibus, fortissimæ inflamationes dirissimis symptomatibus stipatæ oriri possint, manifestissime apparet ex puncturis nervorum aut tendinum, quippe quas subito acerbissimi dolores, motus convulsivi, gangræna et sphacelus sequuntur, et vix, ac ne vix quidem, abarceri possunt: cum contra majora sæpe vulnera membranosis ac musculosis inflicta parum inflamatorii producant. Plerumque tamen læsiones profundæ ac dis-

fusæ et in partibus exquisito sensu prædi-
tis, inque illis locis, ubi vasa majora, im-
primis nervi ac tendines siti sunt, pericu-
losam et in ulcus fœdum ac sphacelosam
corruptionem transeuntem inflammatio-
nem pariunt: quæ vero fracturis, luxa-
tionibus, contusionibus aut ambustioni
supervenit inflammatio, non adeo, nisi
gravis fuerit, extimescenda est, attamen
si scorbutica afficit corpora, ob gangræ-
næ sphacelique metum, ominosa est.

§. 8.

Præter tumores inflammatorios seu
acutos dantur quoque alii, quos chro-
nicos voco. Hi quidem ob læsionem
externam violentam in parte affecta
inflammationi natales suos adscribunt,
sed quia inflammatio fuit exigua ac
facile discussa est, successu temporis labefa-
ctatio fibrillarum læsarum relicta effe-
cit, ut postea officio suo rite fungi re-
cusent, ideoque in ipsis fibris læsis ad-
auctam et luxuriantem carnem gi-
gnant, firmiter carnis vel cutis sub-
stantiæ cohærentem, quo pertinent
polypi et sarcomata narium, verrucæ,
clavi digitorum pedis, tophi aliæque
fungosæ excrescentiæ; aut aliis in
locis, ubi humores elaborantur specifici,
ob languorem motus, congrumescentiam
et coagulationem humorum istorum gene-
rent, prout in tumoribus sic dictis cysti-
cis, scilicet ganglio, meliceride, athero-
mate ac steatomate, itemque in glandu-
larum scirrhositate contingit.

§. 9.

§. 9.

Tumores cystici illi dicuntur, quorum contenta materia folliculo quodam membranacceo, cystis dicto, inclusa haeret. Horum nomina a diversa forma humoris contenti sunt desumta, nimirum, si materia piscium ovis aut pulti avenaceae similis est, atheroma; si vero ad sebi naturam accedit, steatoma; si porro colore ac consistentia mel aemulatur, meliceris; si denique viscida ac glutinosa, ovi albumini aemula, et in carpo potissimum magnitudine nucis avellanae vel ovi columbini reperitur, ganglion dicitur.

§. 10.

In omnibus corporis partibus hi tumores nascuntur, et folliculus iste qui humorem in sinu fovet suo, neque est vas lymphaticum expansum, neque intumefacta glandula, sed folliculus cutaneus seu capsula glandulosa distenta, uti inter alios Heister in Comp. anat. n. 3 statuit. Folliculi hi cutanei, Morgagno glandulae sebaceae dicti, sunt receptacula humoris oleaginosi in appensis arteriolis secreti, quae per emissaria huncce humorem pro servanda fibrarum cutis flexibilitate evomunt, qui si ob supra (§. 8) allatas causas comode egredi nequit, subsistit, moraque spissescit, et nova a tergo accedente materia cumulatur, successive aggeritur, et tumorem, pro diverso liquidi genio denominatum, efformat.

§. 11.

Tumores hi tunicati sunt ex parte renitentes, excepto meliceride, quæ ad mollitiem accedit, cuti concolores et indolentes; et quidem propterea non dolent, quia humor contentus est insipidus et temperatus et quia capsula materiam continens non est naturæ nervosæ sed dilatabilis et hinc humores libere sine cutis offendiculo sese extendere possunt: quare hi etiam utplurimum ad vitæ finem sine notabili incomodo gestari possunt.

§. 12.

Tumores hi vel septicorum usu, vel incisione plerumque, si non nimis diffuse aut in locis periculosis lateant, feliciter eradicantur: sin autem steatomata, (quæ utplurimum a violenta conquassatione cutis et subjacentium partium musculosarum, præcipue vero membranæ adiposæ subcutaneæ et hinc læsarum partium labefactatione ac consequenter successiva congestione et accumulatione pinguedinis restagnantis originem trahunt,) si vero nimis l. diffusa ac dispersa inter vasa sanguifera et musculorum tendines delitescant, non omni, prout certa exempla docuerunt, non omni periculo operationis vacant; sicut et casus mihi innotuerunt, ubi vel substantia cutanea sola ictu aliquo violento in excrescentiam spongiosam flaccidam rugosam, vel simul panniculus carnosus faciei in fungosam verrucantem rigidam, utramq vero indolentem, ad phalangæ digiti, imo pollicis, longitudinem ac crassitiem, successu temporis erupit; quinimo casus frequentiores occurrunt, ubi verrucæ molles in apice nasi, ex tempestate ventoso-nivea faciem diu sub itinere feriente, ingenti copia exortæ in magnam molem concretæ nasum mire deformantes visuntur, utpote qui status quoque inter operatu periculi plenos censendus. &c.

§. 13.

Tumores inflammatorii terminantur quatuor modis: 1) discussione staseos, idque tum removendo vel obtundendo acrimoniam pungentem, tum demulcendo spasticam stricturam fibrarum affectarum; 2) suppuratione seu potius abscessu sæpe post crisin relicto humoris sub stasi corrupti; 3) in scirrhum degeneratione, dum humor glutinosus in glandulis inflammatis æstu præternaturali coagulatus induratur. 4) Gangrænatione ac sphacelatione, dum sub æstu nimio tum fluidæ tum solidæ partes penitus corrumpuntur. Præterea tumores serosi, carnei ut et cystici, quamvis sint difficilioris curationis, attamen non adeo sunt extimescendi, quam sanguinei inflammatorii propter subsequentis gangrænæ sphacelique metum.

§. 14.

Tumoris sanatio pro diversitate caussarum ac partium diversitate diversimode est instituenda: in genere vero ordinarie eo dirigenda, ut 1) humoris impediatur affluxus, idque potissimum per spasmum mitigantia paregorica; 2) materia collecta vel dissipetur vel evacuetur. Prius fit per remedia repellentia derivantia et revellentia: Ad repellentia referuntur saturnina aliaque refrigerantia; Ad derivantia vero Venæsectio et alia humoris restagnantis evacuantia v.g. hirudines etc. Ad revellentia autem vesicatoria, fonticuli. Posterius fit per discutientia, resolventia

aut suppurantia. v.g. volatilia, camphorata, cepacea farinacea et alia pro alterutrius scopo eligenda.
3) si durus admodum vel cadaverosus sit tumor, is quantum fieri potest auferatur per cauterium actuale v.g. in ulcere calloso putrido ossiumq. carie; vel per scalpellum exstirpetur, ut glandulæ scirrhosæ aliique tumores exstirpabiles; vel per cauterium potentiale seu per septica erodatur, ut hypersarcosis etc; vel per ligaturam successivam, ut verrucæ capitatæ.

§. 15.

Prout stasin sanguinis sequitur inflammatio; ita inflamationem imperfectam post crisin sequitur apostema seu abscessus, abscessum vero ulcus, et ulcus denique fistula, nisi hic vel ille status inhibeatur in progressu.

§. 16.

Apostema seu abscessus est tumor, materiam purulentam continens ab inflammatione non discussa ortus. Simulac enim resolutorius et discussorius scopus non obtinetur, protinus ingruit suppuratio, seu staseos seri sanguinei in materiam purulentam conversio, quam comitantur augmentum doloris ac pulsationis febrilis, tumor quoque elevatur et ad cutim properat, eruptionem intendens.

§. 17.

Nascitur abscessus ex inflamatione ad summum evecta fastigium, quando vascula nimium distenta et rarefacta in extremis fin-

finduntur, rumpuntur; et humores contenti egrediuntur, confluunt et cavitatem sibi efformant. Talis recens humorum effusio vocatur apostema immaturum. Humorum eructatione facta, vasa ac fibræ concidunt, sese contrahunt successive, unde tensio, dolor, rubor, ardor, sensim remittunt, decrescunt; materia congesta compingitur mora et restagnatione spissescit, in corruptionem abit, et proprio pondere ac motu tonico ob majorem resistentiam musculorum ad cutem urgetur minus resistentem adeoque ad corticem corporis pellitur, quem elevat, extendit, rarefacit, et mora quam nectit colliquat, et tunc tumor apparens apostema maturum dicitur, quod indicant tumoris in acumen elevatio, ejus mollities color albicans vel flavescens in tumoris fastigio, et ad contrectationem percepta materiæ fluctuatio ac symptomatum remissio.

§. 18.

Cognoscitur apostema im̄aturum ex dolore pulsatorio, rubore et æstu febrili: maturum vero indicant symptomatum remissio, tumor in acumen desinens, mollis, in summitate macula albicante conspicuus, et materiæ digitis ultro citroque humorem pellentibus percepta fluctuatio.

§. 19.

Apostema apertum vel ruptum dicitur, quando materia purulenta cutem et cu-

ticulam colliquat et profluit: occultum vocatur, ubi pus adhuc sub cute restagnat et fluctuat.

§. 20.

Abscessus occultus, scilicet antequam ad plenariam maturationem abit, vel tarde vel cito ad maturationem et apertionem cogendus est; Prius requiritur, quando loca ignobiliora occupat ac partes, in quibus non facile sinus efformari potest; Posterius vero necessario fieri debet, quando apostema loca obsidet, quibus notabiles subjacent cavitates, vel ubi partes ligamentosæ tendinosæ ac nervosæ sitæ sunt, ne illas corrumpat et cavitates appetat. Hinc apostemata musculorum, imprimis superiorum abdominis pectoris et juncturarum, antequam plenarie maturescant, aperienda sunt, ne materia vi ac pondere suo abdominis vel pectoris cavum aut ossium acetabula subeat ac fistulas insanabiles letalesque in visceribus sphacelationes producat.

§. 21.

Apostema igitur imaturum ad suppurationem, rectius maturationem est perducendum, adeoque in maturum convertendum per talia remedia, quæ cutem cum subjacentibus partibus emolliunt, laxant, eorumque resistentiam iminuunt ut sunt unctuosa, mucilaginosa, pulposa.

§. 22.

Maturatione facta, abscessus in parte inferiore aperiendus est, ut ad locum declivem omnis eructanda materia declinet,

pusq;

pusque omne extrudendum in minori scilicet apostemate: si vero apostema grandiorum fuerit, materiæ quadam relinquenda est portio, hoc est non semel, sed aliquot vicibus, virium habita ratione, pus educendum est.

§. 23.

Puris expulsione facta, digestivis seu detergentibus utendum est, et postea consolidatio suscipienda, quando materia effluens probe cocta, pauca, spissa, albicans est, nulliusque odoris.

§. 24.

Abscessus apertionem duplici modo peragunt Chirurgi, nimirum vel corrosivo vel ferro. Quidam cultellum, alii corrosivum præferunt, quorum argumenta pro utraque parte militantia tradit Nuckius, Experim. Chirurg.

§. 25.

Pro diversa circumstantiarum ratione nunc illa, nunc hæc methodus eligitur Apostema enim in corporibus ceteroquin sanis tarde in suppurationem abiens corrosivum expetit, quia tale remedium in corrodendo et quasi comburendo, monstrante eschara, suppurationem promovet, et, illa ablata, magna oritur cavitas remediis promtiorem ad relictam duritiem emolliendam concedit aditum, dicente Dionis, operat. Chirurg.

E contrario vero abscessus, vel cito ad suppurationem tendentes, vel ob causas (supra §. 20.) allatas subitaneam apertio=

nem exposcentes, scalpello aperiri potius censentur quam corrosivo, ne materia excretionem indicans vel requirens festivam, tempore a corrosivo alioquin nimis protracto adsitas periculosiores aggrediatur partes.

§. 26.

Corrosivorum seu septicorum remediorum magnus apud Chirurgos in promtu est numerus. Utuntur enim, (ut illa exigui momenti et sic dicta catharetica, ad exedendam vulnerum hypersarcosin p. adhiberi solita, v. g. alumen ustum Vitriolum caeruleum, viride aeris et ex hoc paratum Unguentum aegyptiacum, apostolorum silentio praeteream) pro nostro scopo more solito septicis potentioribus, nempe butyro antimonii, aqua forti, Lapide medicamentoso sic dicto, variarum compositionum, inter quos vero fortitudine reliquis palmam praeripit Lapis infernalis, cujus applicandi methodus haec est: Abscessui emplastrum tenaciter adhaerens et foramine praeditum exquisitae magnitudinis applicatur, ita, ut cutis erodenda per id pateat, cui frustum caustici, penna anserina prius exceptum et deinde saliva humectatum imponitur, vel istud in forma pulveris inspergitur, tum plumaceolum et aliud emplastrum fenestratum seu pervium paulo majus imponatur, tandem emplastrum plagulā tegitur, quae

fascia

fascia firmatur. Elapsis aliquot horis
eschara inducta, ad pus emittendum, scal-
pello inciditur, eaque butyro recenti
non salito ad separationem perducitur.

§. 27.

Pure educto, et magno satis existente
foramine, pars læsa tractanda est de-
tergentibus; ac denique traumati-
cis consolidanda.

§. 28.

Quoniam vero hæc septica recensita
sub operatione sua ægris dolores ferme
intolerabiles pariunt, ideoque odiosa
sunt; jam diu meditatum est de in-
veniendo aliquo corrosivo minus dolo-
rifico: tandem vero præparatum quod-
dam ex lixivio saponariorum, inspissan-
do ad siccitatem, vel saltem ad for-
mam magmatis mellaginei, redactum,
haud ita diu hoc scopo adhiberi cœpit
cum euphoria, quare cauterium po-
tentiale indolens dictum est, quippe
cujus applicatione fibræ cutaneæ ce-
leriter ac sine notabili dolore in
mucum gelatinosum colliquantur:
sed quia minus comode conservari ac in
promtu haberi potest, dum avidissime
humidum äereum attrahit, et tum colli-
quatur ac enervatur, ideo vitro probe
obturato continuo inclusum ac præterea
semper loco calido servandum, usus ejus
quoque despectus est: quare jam diu ma-
gnum desiderium de impetrando meliori
septico apud chirurgiæ peritos exortum est.

§. 29.

Qui incisionem caustico praeferunt, scalpello vel phlebotomo, non autem forfice, illam peragunt, probe interim vitando vasa sanguifera, nervos et musculorum tendines: sicque musculo infligitur plaga, quam secundum fibrarum ductum non vero transversim, infligere necesse est.

§. 30.

Tumorum sic dictorum cysticorum apertio et exstirpatio fit more solito vel per septicum praedictum vel per incisionem ut plur. decussatim factam ac deinceps, labiis diductis, sacculus hamulo arreptus scalpelli manubrio a membranis adhaerentibus, cystide hac, si fieri potest, manente illaesa separatur et caute, vel cum vel sine ligatura, exstirpatur, ita quidem, ut nulla sacculi relinquatur portio sed totus auferatur sacculus. Ne vero ex improvide relicta sacculi parte novus tumor, quod fieri solet, recrudescat, vel, quod facile contingere potest, in sordidum ulcus commutetur, Unguento F. Wurzii vel aegyptiaco reliquiae ejus consumendae sunt. Operatione facta, cavitas linteo carpto vel sicco, vel adstringente liquore imbuto, ad haemorrhagiam compescendam, repletur, vulnusque postea nova carne replendum et cicatrice obturandum est.

§: 27.

§. 31.

Tumorum aperiendorum methodi hucusque usitatæ habent sua comoda et incomoda. De corrosivorum incomodis potioribus jam supra (§. 26. 28.) actum est: Quod vero attinet incisoria, methodus ista, ob dolorificam vulnerationem et subsequentem hæmorrhagiam, ægris meticulosis videtur crudelis, ideoque mirum non est, quod talem operationem abhorreant, ac non passim mortem iminentem operationi præferant eligendam, alii autem plerumque præ timore operationis tempus opportunum ac justum apertionis negligunt in sui damnum haud exiguum ac subinde irreparabile, quod videre est in panaritio, tumoribus erysipelaceis, aliisque profundioris ac periculosæ operationis, dicterio illo abutentes, quod sit facile, temerario in alius corium incidere. Juvabit itaque, media incedere via, qua potiora incomoda utriusq methodi, quoad fieri potest, evitantur; quam quidem viam fore optimam generatim et abstractive omnium judicio facile concedetur: at specifice ac concretive talem invenire et ambulare, arduum illud est, quod problemate hoc academico requiritur.

§. 32.

Arduam hanc viam ambulandi in hoc trivio, comite, itinerisque monstratrice ac viæ duce gaudeo experientia Viri cu-

jusdam in Medicina utraque pariter ac chemia versatissimi, cujus laboribus ac curationibus interesse mihi quondam licuit. Utebatur hic vir in praxi felicissimus pro apertione tumorum liquore minerali septico laboribus propriis producto variisque in casibus sibi obviis faustissime adhibiti, quem arcanum habuit, et ego, fide ipsi data, hucusque arcanum, usibusque saltim privatis applicandum, servavi; jam vero in hac dissertatione solemni publicandum decrevi.

§. 33.

" Liquor hic noster septicus est residuum celebratissimi illius sic dicti Liquoris anodyni mineralis Hoffmañi, destillando ex olei Vitrioli dephlegmati parte una, et Spiritus Vini Rectificatissimi partibus quinque parati. Virtutes vero hujus liquoris residui septici sunt sequentes, quod scilicet applicatus cutem una cum subjacentibus partibus membranaceis, vasculosis, carnosis, quousque profunde penetrare potest, insensibiliter, et tantum, veluti formicarum acrimonia, titillando corrodat ac mortificet, simulque eadem operatione vasa sanguifera corrosa incrustando obturet hemorrhagiam inhibeat et sic aperiat, ut postea chirurgus sine incomodis cruentationis, quæ alias reliquas operationes necessarias impediunt, operationes necessarias prosequi possit; praetereaque simul, quod magis mirum, partibus corruptis fundamentum consolidationis in recessu impertiat, imo ulcerum sanationem ordinariam respuentium ut et carcinomatis cancrosi materiam malignam enecet, funditusque exstirpet.

§. 34.

§. 34.

Methodus applicandi hujus liquoris septici pro aperiendis tumoribus apostematicis, scirrhosis cysticis, aliisque ejus generis casibus, qui inter operationes chirurgicas stricte sic dictas apertionem requirunt, haec est:

1) accipiatur calamus scriptorius crenatus, isque intingatur liquori praedicto, ac cum eo inscribatur linea vel figura erodenda, nimirum vel decussatim seu in forma crucis, vel lineae infractae seu biangularis V, secundum ductum fibrarum fibrarum musculorum subjacentium longitudinalium, quanta scilicet, loco incisionis cum scalpello sufficit ad apertionem, eum in finem, ut postea labia scalpelli manubrio commode possint diduci pro evacuatione puris, vel eradicatione materiae peccantis contentae cum digitis vel instrumentis adaequatis.

2) protinus obtegatur haec linea scripta linteolo tenui, cui emplastrum aliquod tenax ex cera terebinthinata + compositum, ad modum cerae arboreae vel cerati alicujus officinalis, obductum est, ac tum plagula et fascia l. a. deligetur et sic ad 24 horas inturbatum relinquatur; si vero materia peccans non adeo profunde haereat, intra tempus praeter propter 18 horarum prospiciatur ne justo profundius rodat: quando autem post 24 horarum decursum rima exesa non sit satis profunda, liquor hic secunda vice applicetur, cum penicillo pictorio, ac post hujus effectum adhuc incompletum applicatio ejus tertia vice fieri potest, sic enim erosio, si requiritur, usque ad os subjacens penetrat.

+ absque ulla pinguedine;

3. tum, lineâ sic profunde satis erosa, chirurgico scalpello [2] exesa caro [3] mortificata [6] rescindatur, ac removeatur, id quod sine doloris sensu fieri potest,

ac postea, si tumor sit apostematicus, pus eructans educatur ac insuper (secundum supra §. 22. 23.) procedatur; si vero sit scirrhosus vel cancrosus; scirrhus (hamulo arrepto) digitis vel scalpelli manubrio vel spatula separetur a membrana adiposa seu pinguedine et aliis fibrillis adhaerentibus, et integre, ligatis prius vasis, exstirpetur; si autem sit cysticus, fibrillae cystidi annexae scalpelli manubrio vel spatula vel digitis separentur a cystide, ac porro cystis hamulo detenta eradicetur simulque prospiciatur, ne quid de ejus folliculo remaneat, hujus vero si forsan quid remanserit, id successive suppuratione ope digestivi colliquando eliminetur.

4. deinde cavitas oborta linteo carpto cum Unguento digestivo Dispensatorii Brand: impraegnato l. a. impleatur ac cum Emplastro diachylo simplici obtegatur; Circum circa Emplastrum hoc autem linteolum non adeo latum aqua sclopetaria humectatum imponatur, simulque plagulis, vulgo compressis, vino calido impraegnatis, omni trihorio renovandis deligetur, utpote quibus paregoricis dolor ex operatione evacuatoria ortus plerumque intra 24 horarum spatium remittere solet.

5. denique post 24 horarum decursum reaperiatur cavitas pro materiae purulentae evacuatione, ac denuo deligetur praedictis digestivis, et tandem deligatio haec reiteretur quovis decursu 24 horarum, quousque materia purulenta effluens signa supra §. 23. indicata consolidationis suscipiendae praebuerit, quae tunc balsamicis atque vulnerariis consuetis ad cicatrizationem usque intendatur et absolvatur.

§. 35.

§. 35.

Ceterum ut cura eo felicius procedat, his Externis Interna associanda sunt. Æger enim, inprimis si sit debilioris ac sensibilioris generis nervosi, quamvis nostra methodo, sub actione apertionis corrosivæ indolentis, doloribus ac hæmorrhagiis parcitus, non enervetur, attamen postea, præcipue sub operatione evacuationis materiæ morbificæ, (scilicet puris apostematici expressione, aut glandularum resectione, aut materiæ cysticæ eradicatione ac exstirpatione aut alius peregrinæ extractione,) utplurimum dolorifica, ut et subsequente quavis deligationis reiteratione omnino doloribus subinde gravissimis crucietur; ideoque his temporis intervallis facile lipothymiis vel convulsionibus, ac consequenter enervationis periculo, subitaneam mortem subinde concitante, omnino est expositus: quare necesse est, ut his tum mitigandis tum perferendis symptomatibus per anodyna ac confortantia præmuniendo conservetur. Si itaque quæstio movetur: 1. num anodyna ac confortantia ægro sint propinanda? 2. quo tempore hæcce optime sint exhibenda? ac 3. quænam præcipue sint eligenda? respondeo: ad quæst. 1mam, quod huic in jam præmissis rationibus sufficientibus sit satis factum, nimirum quod omnino anodynis ac confortantibus preservantibus opus sit: nisi enim ista conservativa adhiberentur, scopus operationis, utpote quæ non pro enecando vel saltim enervando, sed pro sanando ægro, instituitur, foret cassus. ad quæst. 2dam, quod si hæc conservantia tum demum propinarentur, quando jam præsentes lipothymiæ ac convulsiones tragicos suos actus ludunt, tunc post festum, ut dicitur, exhiberentur: quid enim juvarent, si æger

jam hisce symptomatibus vexetur ac enervetur? taceo, quod tunc temporis comode propinari ac deglutiri nequeant; sin vero brevi ante operationem adhibita sunt, omnino ægrum conservare possunt; præter hæc! nonne ista symptomata sunt paroxysmi? paroxysmi autem nil aliud sunt quam spasmi exacerbati fibrarum motricium a materia peccante, potissimum pungente, excitati: remedia vero febres sistentia si dantur post paroxysmum vel tempore intercalari virtutem suam exserunt quidem, at non tam valide, teste experientia, quam si versus paroxysmum adhibeantur, quia tantum per tempus breve operationem suam paregoricam ac roborantem, sicut et alia medicamenta suas specificas, exserunt; ergo consultius est, illa conservantia ante operationem chirurgicam dolorificam, quam post illam adhibere: sane hanc hypothesin comprobat experientia quotidiana in venæsectione, seu operatione minoris momenti; non pauci enim, tenerioris texturæ, sub actu venæsectionis vel statim post illum, jejuno stomacho lipothymia, subinde vomitionibus, alviq. excretionibus aliisque motibus convulsivis stipata, molestantur, quæ vero utplurimum cessant symptomata, si proxime ante operationem aromaticum aliquod fuerit comestum; insuper quoque notandum, (idque quidem primo intuitu quibusdam videbitur esse paradoxon,) quod lipothymiæ non æque oriantur ex debilitate fibrarum motricium, ac potius ex spasmo earum nimio, quod evidenter patet ex lipothymia a venæsectione largiori, ubi scilicet sanguis plus justo subtractus est, æquilibrium reactionis sanguinis ad reciprocum sufficientem impulsum ad tempus cessat, quinimo in aliis pluribus casibus, imprimis dolorificis, lypothymiæ oriuntur ex spasmo nimio ac per tempus continuato, ideoque sæpe convulsionibus stipatæ sunt. Cum igitur hoc accidit ex operatione exigua minusque dolorifica, quidni potius accidat ex operatione magis ac diuturne dolorifica? Ergo omnino statuendum est antispasmodica ac roborantia ante operationem dolorificam scopo præservativo utique esse necessaria, alias enim scopus conservatorius perperam negligitur vel spernitur,

et

et quoniam in affectibus febrilibus, epilepticis atque convulsivis interna præservantia more consueto in praxi medica, inter alias vices, præsertim ante paroxysmum, usurpanda præscribantur, nescio, qua ratione mos veterum anodyna ante operationem chirurgicam propinandi plane obsoletus sit.

Ad quæst. 3. Veteres quidem, quum Opiata aliaque narcotica adhibuerunt, (quippe quæ tum obstupefaciendo partes solidas sensibilitatem ipsarum supprimunt, sed simul vires prosternunt, partesque fluidas, instar vaporosorum inebriantium, ebullire faciunt,) omnino male egerunt et excessu peccarunt, sed idcirco excusandi sunt, quia indicationi fere primariæ, dolores sistendi ideoque symptomata animi deliquii convulsionumque præcavendi satisfecerunt, ~~et~~ sic famæ suæ consulentes, opprobrium crudelitatis avertendo, quamvis melioribus anodynis destituti: Neoterici vero plurimi, quod pace contradicentium dicam, quoque male agunt, in defectu peccando, indicationem istam præcipuam jucunditatis spernentes, quamvis nostra ætate innoxiis imo saluberrimis anodynis ac confortantibus gaudeant. Nonne enim adsunt in promtu in materia nostra medica sat antispasmodica, paregorica, anodyna, antepileptica simulque roborantia ac confortantia ebullitionesque sanguinis inflammatorias sistentia? Adest nimirum, præter pulv. antepilepticum Marchionis et specificum cephalicum Michaelis, heroicus ille spasmorum debellator Cortex chinæ Chinæ ac Cascarillæ ~~una cum~~ præparatis; Adsunt aqua epileptica Langii, cordialis temperata, liliorum convallium, florum sambuci, ~~tiliæ~~ pæoniæ, cinnium, chamomillæ, matricariæ; et inter spirituosa celeberrimus ille antepilepticus simulque roborans ac temperans, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, item Liquor

Cornucervi succinatus, utpote quibus felicissime in praxi medica utimur in aliis morbis, ac speci-fice spasmodicis ac convulsivis, qui acrimoniam pungentem ac inflam̄antem utplurimum pro cau-sa agnoscunt. Sane liquor anodynus Hoffmanni omnibus reliquis, eximia virtute confortative-anodyna simulque, ob acidum Vitriolicum oleo vini subactum, temperante, palmam praeripit, et vel per se vel cum aliis praedictis com̄ode pro-pinari potest, statis horis, imprimis brevi ante operationem dolorificam.

„ Cum praeterea liquor cornucervi succinatus ~~constet~~ Sale volatili urinoso, alias frigidum dicto, ac Sale volatili acido succini, utroque paregorico simulque nervino, enixando in digestione humi-da combinatis, ~~com̄que~~ cum liq. anodyno Hoffm. maritari poterit; cum denique laudanum li-quidum Sydenhamii sit inter opiata temperatis-simum compositum, quid nocebit, si dosi refra-cta praedictis addatur, quemadmodum in variis morbis dolorificis aliis specificis remediis felici successu associari solet, sic mixtio ex liq. anodyni Hoffmañi ℥iij. cum liq. C.C. succin. ʒj. et laud. liquidi Syd. gutt. x., mihi hucusque usualis, non contemnen-dum erit praeservativum, adulto ad gutt. xxx., debilioribus vero in minori dosi, ex aqua ceraso-rum nigrorum proxime ante operationem dolo-rificam propinandum, ut et peracta illa operati-one reiterandum, idque posterius cum regimine temperate diaphoretico ac quieto.

Cum porro Spiritus salis am̄oniaci, ceu sal volatile uri-nosum penetrantia sua vires debilitatas refocil-lando lipothymiis ac convulsionibus com̄uni more externo usu olfactorio vel per se vel cum aqua Reginae Hungariae dilutus naribus admo-tus promtissime resistat, insuperque interne

ad-

Adhibitus ebullitiones sanguinis egregie compescat, atque ideo crapulæ, deliramentis, aliisque ebrietatis incomodis cito medeatur, confugiendum esse suadeo in casu necessitatis, quando nimirum lipothymiæ ac convulsiones insultant, ad usum ejus internum, ad aliquod guttas ex vehiculo quodam v.g. aqua frigida in os immittendo: mirum enim est, simulac deglutitur, idquod promte fit, quam cito æger quasi agonizans reficiatur.
Reliquorum internorum remediorum aliis temporibus pro scopo diverso ordinarie adhibendorum usum jam silentio prætereo.

§. 36.

Hac methodo nostra apertoria (§. 34) indicata præter tumores ibi allegatos alii quoque casus apertionem chirurgicam expetentes comode tractari possunt v.g. si amputatio membri alicujus fuerit necessaria, et æger crudelitatem doloris ac cruentationis abhorreat, mortemque amputationi, uti sæpe fit, præferat, hac methodus aperitiva per liquorem nostrum septicum administrari poterit, quo facto amputatio ossis l.a. instituatur. Sic quoque si herniotomia desideratur, præparatio ista quoque eâdem fieri poterit, probe tamen cavendo nimis profundam liquoris actionem, ac tum reliqua operatio sine cruentationis ~~incomodo~~ peragatur. Licet (etiam) anevrismata et varices inter rariores casus referantur, attamen subinde occurrunt: De Varicis felici operatione per nostram methodum, minus dubito: num vero anevrismati in sistendo sanguine satisfaciat, experientia docebit: An labii leporini cura, propter salivæ fluxus incomoda, succedat, dubito. Sed si festucæ ossium fractorum residuæ apertionem requirant, ea comode hac methodo fieri poterit: Sæpe etiam ~~occurrunt~~ occurrunt casus,

ubi peregrina corpori infixa profunde haereat nec sine apertione partium obtegentium erui possunt. v. g. globuli plumbei sclopetarii, qui motum partis affectae plus minus impediunt. Horum vero extrahendi methodus haec erit 1.) applicetur liquor noster septicus loco tali, ubi nec vasa majora nec nervi, tendines, ligamenta hoc liquore haud facile tangi possunt, quousque plumbum attingat; tum 2.) remotis erosis, ac sic nudato globulo, ac, aegro in comodum situm reposito, adeo, ut per diem noctemque in tali situ permaneat, vulneri huic infundatur mercurii currentis tepefacti portio quaedam v. g. ad ℥ß vel ℥j; ac emplastro tenaci obtegatur. Sic mercurius globi partem arreptam statim amalgamando colliquabit, ita ut situ inverso plumbum colliquatum effluere possit; plumbo amalgamato tunc emisso 3.) visitetur, num mercurius omne plumbum amalgamarit, sin minus immittatur nova mercurii portio, et procedatur, ut mox dictum; 4.) tandem omni amalgamate effuso globuloque penitus eliminato, vulnus digestivis consuetis ad suppurationem, tandemque ad consolidationem ac cicatrizationem perducatur.

Et sic applicatio ad reliquos casus analogos facile, mutatis mutandis, fieri potest.

Ut autem de verrucarum clavorumque eradicatione per hanc methodum etiam aliquid dicam, modus procedendi exstirpationis verrucarum duriorum quas acrochordones vocant, hic erit: crusta duriore, quantum fieri potest rescissa, liquor hic mediante penicillo applicetur verrucae, quae tum emplastro tenaci obtegatur, ut per aliquot horas rodat, at ne justo profundius agat, dolore aliquo titillante in carne sana percepto, liquor aqua tepida eluatur,

ac

ac statim locus cum unguento digestivo linteo carpto illinito insuperque emplastro tenaci deligetur; similiter, pro eruendo clavo, circulus cum penicillo liquori septico intincto clavo circumducatur, ac cum emplastro prædicto obtegatur, præscriptisque cautelis procedatur; vel acutus mucro calami scriptorii liquore humectatus clavi prius præcisi punctulo centrali nigriusculo imponatur ac continuo profundius imprimendo infixus tamdiu insistat, quousque sensatio acrimoniæ in fundo clavi percipiatur, tum eximatur ac vulnus cum aqua tepida eluatur, emplastroque tenaci obtegatur; sic propediem verruca vel clavus sponte excidit.

8.37.

In ulceribus callosis, foedis, depascentibus sanationemque respuentibus, et inprimis cancrosis liquor hic septicus hunc mirabilem præstat effectum, quod si loco, ubi cancri radix hæret, paullulum cum penicillo illinatur, ac cavitas ulceris linteo carpto sicco compleatur et tum imposito emplastro tenaci accessus aeris abarceatur, at, peracta operatione, postea ulcus unguento digestivo cum linteo carpto, ac in progressu subinde sicco applicato, tumque suo tempore consolidantibus procuretur, (probe interim cavendo oleosa ac pinguia+, quare nec balsamus Arcæi admittendus,) sic materia cancrosa enecata eliminatur, ulcusque tunc sano fundo præditum cito consolidatur. Hic enim liquor septicus eximia illa virtute pollet, ut in recessu simul relinquat fundamentum consolidationis, ideoque nec unguentis nec Emplastris egeat pro sanatione procuranda: solummodo potius curandum est, ut aeris accessus, vulneribus ulceribusque generatim fatalis, quantum fieri potest, abarceatur, obtegendo. Sane hæc sola virtus, carcinomaticum virus sine resectione extirpandi, hunc liquorem septicum reddit necessarium, ita ut imposterum dolorifica ac cruenta resectoria privatione mammæ, ceu pulcri pariter ac utilis muliebris thesauri, supersedere possimus: taceo eandem ut plurimum esse frustraneam.

+ sanationem retardantia, ulceraque benigna facile cancrificantia,

§. 38.

Quemadmodum vero in rerum natura nil tam polychrestum existit, quod non aeque omnibus conducat, sicuti calor solis plurima fovens, aliquibus tamen rebus noxam inferre potest; ita quoque in hoc passu: quamvis enim praescripta cauta ac justa applicatio liquoris hujus septici polychresti, aperiendo plurimos tumores praeternaturales, cito, tuto ac jucunde, id est, sine longo ac taedioso temporis tractu, sine corrosionis dolore, ac sine haemorrhagiis, et consequenter prae reliquis aperiendi methodis optimo modo curet; attamen occurrunt casus, quibus haec methodus minus applicabilis videtur. Tumoribus enim apostematicis imaturis, grandaevis ac nimis profundis vel jam gangraenatis, aliisque, quibus alii frustra curam dederunt, eosque malignos reddiderunt; necnon ad naevos maternos sic dictos igneos, et ad tales naevos, qui superficiei cutis aequales conspiciuntur nec elatius eminent; ut et ad speciem verrucarum mollium seu fungiosarum, quarum subinde magnus numerus apici nasi insidet, nasumque mire deformat etc. uti generatim omnis medicatio periculosa, ita et haec ominosa videtur: consultius itaque fore censeo, ab illis abstinere, ne temere periculum ineatur, donec experientia plures analogos casus approbaverit, quibus adeundis occasio multivaria in Nosocomiis pariter ac in praxi privata promtissimam porriget manum.

§. 39.

Sic tradidi methodum non solum tumores apostematicos κατ᾽ ἐξοχὴν requisitos, sed et alios potiores optime aperiendi, expurgandi et abigendi per liquorem nostrum septicum, quippe qui insuper materiam resanationis vulnerum ac praecipue ulcerum alias

fere insanabilium imo cancrosorum in recessu relinquit, ita ut virus carcinomaticum funditus exstirpet, ideoque fundamentum consolidationis suppeditet, in quo eximio ac heroico effectu reliquis aperiendi ac reconsolidandi methodis ac remediis huc usque notis ~~palmam~~ præripit, ideoque hoc solo respectu virtus ejus inæstimabilis, ad quam ceu ad sacram anchoram, in casibus præcipue desperatis confugiendum, ideoque minus dubitandum est quin usus ejus in Nosocomiis pariter ac praxi privata introduci mereatur, ubi porro ejus energia mirabilis multivariâ experientiâ magis magisque comprobabitur, ita ut, mea quidem sententia, plus efficiat quam jam speratur: sed ne in hujus liquoris laudibus extollendis nimis prolixus ac thrasonio ore loqui videar, parcus ero, ratus, vino vendibili non opus esse suspensa hedera; faxitque benignissimum numen, ut ejus applicatio in plurimis casibus desperatis sit benedicta, imprimisque in debellando dirissimo carcinomate, (utpote cui alias jam dudum cominatum est illud terribile ac detestabile exstirpatorium: Ense recidendum, ne pars sincera trahatur!) sit sacra anchora ad ægrorum deploratorum solatium ac salutem.

§. 40.

Pertractatis nunc potioribus momentis labori meo ~~finitu~~ colophonem addere liceat hoc syllogismo: methodus medendi ac præcipue operationum chirurgicarum ista, qua cito, tuto ac jucunde cura peragitur, secundum dicterium comune, censetur optima: atqui isthæc nostra plane nova methodus aperiendi repurgandi et abigendi tumores præternaturales illa tria requisita bonitatis optima possidet, dum brevi tempore, sine dolore ac sine hæmorrhagiis agit, insuperque fundamentum consolidationis

promtissima simul in recessu porrigit; Ergo hoc methodus omnino pro optima est censenda ac prædicanda.

Num vero audax hocce consectarium prærogativæ hujus methodi, aliorum judicio comprobari mereatur, decisioni dexterrimæ pariter ac indulgentissimæ Virorum inclytorum, doctissimorum experientissimorum, illustrissimæ Academiæ Procerum, rem, ea qua par est humilitate subjicio, optima spe fretus, æqui bonique fore consulturos, ac sic dissertationi huic quali quali impositus sit

FINIS.

promtissima simul in recessu porrigit; Ergo hæc methodus omnino pro optima est censenda ac prædicanda.

Num vero audax hocce consectarium prærogativæ hujus methodi, aliorum judicio comprobari mereatur, decisioni dexterrimæ pariter ac indulgentissimæ Virorum inclytorum, doctissimorum experientissimorum, illustrissimæ Academiæ Procerum, rem, ea qua par est humilitate subjicio, optima spe fretus, æqui bonique fore consulturos, ac sic dissertationi huic [illegible] li impositus sit

FINIS.

Georgius Urbanus
Beltzius, medici-
næ Doctor et Physi-
cus civitatis Neo-
stadii-Eberswaldensis
prope Berolinum sitæ